



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

33. Quid possit Praelatus facere ex denunciatione sibi ut Patri facta de peccato subditi, & an propter delicti gravitatem possit imponere subdito denunciationem judicialem? & si renuat subditus facere ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

ante primam servari debet ordo Evange-
 licus; & si proximus emendetur, sisten-
 dum esse: ad secundam verò prætermisso
 illo ordine, procedi posse absq; injustitia,
 quia licentia hominis ad deferendum pec-
 catum, non est solùm ad emendationem
 rei, & impedimentum damnorum immi-
 nentium, ut dictum est, sed etiam ad eius
 punitionem: nec charitatem offendere
 sic procedentem, quia infamia & punitio
 criminosi compensaretur promotione
 boni communis, ex delatione juridica
 provenientis, nec enim ullum peccatum
 commissionis esse posse contra charita-
 tem, nisi fiat ex odio personæ. Ita Gaspar:
 Hurt. loco cit. Vide etiam Card: de Lugo de
 iust: tom: 2. disp. 37. §. 7. num: 79. Atq; hæc
 de modo procedendi denuntiatoris in
 denunciatione tum fraterna, tum judi-
 ciali: modò videndum qualiter Prælatus
 procedere debeat.

33. Difficultas est in hoc, ut constet
 quid Prælatus facere possit ex denuncia-
 tione sibi ut Patri factâ de peccato subdi-
 ti: Certum est, non posse Prælatum ex ta-
 li denunciatione transire ad judicialem
 pro-

pro-

procedendo ad pœnas juris, nisi ille sit per-
 tinax, & aliter corrigi non possit, quo ca-
 su desinit via correctionis fraternæ, & in-
 cipit judicialis. Ratio, quia Judex eo casu
 nullam notitiam habet, qua possit ut Ju-
 dex contra reum procedere, & inchoare
 iudicium, cum neque præcedat infamia
 nec accusatio, aut denunciatio juridica,
 aut aliquid his æquipollens, *ut bene Suar.*
hic. cap. 12. num. 43. contra Azor. tom. 3.
lib. 13. cap. 32. & Canonistas quosdam ab
 ipso relatos. Quod si delicti gravitas tan-
 ta sit, ut plurimum intersit Reipub. aut
 tertio alicui contra illud juridicè proce-
 dere, poterit Prælatus denunciante[m] E-
 vangelicè, obligare ad denunciationem
 juridicam: qui & ad id tenebitur, si alia via
 non suppetat ad impediendum damnum
 publicum Reipub. vel tertii, quia in hu-
 iusmodi casibus postponi debet fama de-
 linquentis. Quod si denunciante[m] detrectet
 denunciare juridicè, poterit Prælatus con-
 stituere fiscalem, qui ex officio denunci-
 ciet, si quidem speret probari posse delictum,
 poteritque uti notitiâ denunciationis E-
 vangelicæ, & adhibere denunciante[m],

ut te-

ut testem juxta textum Evangelicum. *Ad-
hibe tecum unum vel duos ut in ore duorum vel
trium &c.* Ipse autem, ut dictum testifi-
cari tenebitur, nisi complex fuerit, vel no-
tabile aliquod ei damnum immineat,
quod tolerare non debeat pro damno vi-
tando illo Reipub. vel tertii innocentis.

34. Cæterum i. potest Superior ex de-
nunciatione sibi ut patri facta procedere
ad pœnitentias quasdam moderatas, qui-
bus in subditum advertat, quæ neque in-
famiam irrogent, neque delictum, si gra-
ve sit, manifestent: esset enim contra jus
delicto non probato, illud punire ac si
probatum esset, & secretò apertum ad
correctionem per pœnitentiam evulga-
re. Itaque aliqua punitio pro delictis, quæ
nullam irrogent infamiam, & quæ solent
communiter à Religiosis committi, li-
mites fraternæ correctionis non excedit,
sicut in patre carnali cum filiis contin-
git. Si verò delictum grave sit, præcipuè
si probari possit ad pœnitentiam aliquam
secretam procedere poterit, quæ magis
correctiva & præservativa sit, quàm pu-
nitiva. Ut benè Suarez. Tom. 4. de Relig:
lib.